



Praxis Avrea Qvotidianarvm Rervm Ecclesiastici Fori

In qua Variæ Iuridicæ Resolutiones ex approbatis traditionibus Doctorum,
atque diuersorum Tribunalium, præsertim Rotæ Romanæ, Decisionibus,
excerptæ, continentur; Opvs Qvatvor Partibvs Distinctvm

Continens Tertiam, & Quartam Partem: Quibus, hac nostra editione ab
innumeris mendis repurgata ...

Riccio, Giovanni Luigi

Venetiis, M.DC.LXXIV.

Praxis Reparatio Ecclesiarvm, & Cappellarum. Iuxta Concilium Tridentinum
sess. xxj. Canon vij.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-98599](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-98599)

tio, licet enim oppressis ius naturale subueniat per appellationis beneficium, tamen quicumque potest si vult huic iuris naturalis subsidio renunciare, & eo ipso quod aliquis in prædicta Religione professione emit- tit, & secundum illius ordinis leges, & constitutiones vivere vult huiusmodi recursum denegantes, præter- quam in capitulis, aut visitationibus videtur huic pri- uilegio, & favori naturali renunciare, quia quemadmo- dum vouens castitatem renunciat iuri quod habet ad contrahendum matrimonium, & manet alligatus ad vi- uendum in statu cælibatus, & vouens paupertatem re- nunciat libertati à iure naturali sibi concessæ ad obtinē- da, & possidenda bona temporalia, & adstringitur in paupertate perpetua vivere, & per obedientia votum renunciat libertati iure naturali sibi competenti, & subditus alligatus, aut religatus remanet. Hoc ipsum dicendum est de appellationibus postquā Bonifacius Papa IX. quibusdam literis datis Romæ anno 1302. eas appellationes abstulit à prædicto sacro Prædica- torum Ordine, itaque quomodocunque Religiosus sit granatus per sententiam à suo superiore admittenda est appellatio, & sic si ea non obstante executioni mā- dabitur sententia Superioris erit articulus violentiæ nisi contrarium per constitutiones, & ordinamēta or- dinis fuerit dispositū, vt in c. ad nostram de appellat.

RESOLVT. CCCXXXVI.

- 1 Læsus iniuria affligitur.
- 2 Religiosis excluditur aditus ad Regia Tribunalia.

Cur facultas appellandi, ac recursum, sit sublatus aliqui- bus Religiosis ad ornatum cap. ad nostram de appellat.

Respondeo cum Rodriq. to. 1. quæst. 29. art. 3. & in summa in fine tit. de ordine iudic. ca. 13. num. 5. Couarr. in practic. c. 23. vers. 6. vers. 8. Zerola 2. par. §. Regulares vers. 6. per quam sanctè in plurimis Reli- gionibus appelladi vsum fuisse abiectum, nam quam- uis fortasse euenire aliquando possit, vt Monachus ali- quis iniuria læsus affligatur, hæc tamen damna, quæ rarissimè contingunt pace, & quiete totius Religionis compensantur, cum illius neruus atque decus in eo maximè consistat, vt altissimo silentio inter fratresq; sua est professio, vt planiter tractent, & transigant nec se seculo prodant, aut saltem non faciliè causas extra religionem deducant, ex quo non leues perturbatio- nes, ac iurgia oriuntur in grauissimum Religionis de- trimentum, & ob hanc causam excluditur religiosus in Hispania aditus ad Tribunalia Regia per viam violē- tiæ ex l. 40. tit. 5. lib. 2. Aduertendum tamen est ex Nau. lib. 2. de appell. conf. 4. quod id quod dicitur non licere religiosis appellare, quia illis interdicta appel- latio intelligendum est, quando non est excessus in correctione, & mandata, vel præcepta Superiorum, sunt rationabilia, & legitimè facta, vt diximus in quæst. 74. nu. 24. & in lectione glos. 5. nu. 19. Caterum si superior in ijs deficiat potest religiosus appellatione, tanquam iuris naturalis subsidio se tueri.

PRAXIS REPARATIO ECCLESIARVM.
& Cappellarum.

Iuxta Concilium Tridentinum sess. xxj. Canon. vij.

RESOLVT. CCCXXXVII.

- 1 Reparatio Ecclesiæ Cathedralis spectat ad Episcopum, quod declaratur, vt num. 4. 5. 6. & 8.
- 2 Reparatio Ecclesiæ parochialis spectat ad parochum, Aloy. Ricc. Prax. Pars IV.

- 3 Reparatio Ecclesiæ spectat ad percipientes fructus ab ea.
- 4 Consuetudo attenditur in materia reparationis.

Quis teneatur ad reparationem Ecclesiæ Cathedralis.

Ecclēsiā Cathedralē egentem reparatione te- netur Episcopus reparare, lo. Gall. 9. siue Arresto 293. post Stephanum Aufser. in decis. Cappellæ Tholof. 500. Renat. Choppin. de sacra. forens. Polit. lib. 3. c. artic. 11. quos sequitur Geraldus Maynardus, in decis. Tholof. 40. lib. 1. Reufnerus in decis. 1. lib. 4. num. 30.

2 Eodem etiam modo parochialem Ecclesiā illius Rector reparare tenetur, vt voluit Cappella Tholof. in decis. 499. Valasq. in decis. 179. n. 7. & decreuit Cōc. Trid. sess. 21. c. 7. incip. cum illud, vide Pappo. Arrest. Curia lib. 1. tit. 1. Arrest. 12.

3 Et omnes tenentur, qui ab Ecclesia recipiunt fru- ctus decimales. Maynardus in decis. Tholof. 31. lib. 1.

4 Supradicta tamen conclusionis decisio recipit nō- nullas declarationes, quarum prima illa est, inspicien- dam fore consuetudinem, vt is ad reparationem te- neatur, qui consuetudine reparare solitus sit, vt ar- gum. cap. ad Apostolicā extra de Symon. voluit Abb. Panorm. in c. 1. n. 3. de Eccles. edific. & voluit Aufser. in dicta decis. Cappellæ Tholof. 499.

5 Secunda, est simili præcedenti, quod in Ecclesia in qua est quarta reddituum, vel reliquorum deputata pro illius fabrica, & reparatione eroganda est, & tunc nec Episcopus suam, nec Rector parochialem suam reparare tenebuntur, prout Simplicius, & Gregorius Summi Pontifices statuerunt in c. quatuor. c. de reddi- tibus, c. cognouimus 12. q. 2. Hostiens. in summa tit. de Ecclesiæ edific. §. 1. in fine Panorm. in dicto c. 1. & Aufser. in dicta decis. 499. Ripa li. 3. Responsor. c. 22. n. 3. post alios, Aluarus Valasc. consult. siue decis. 1079. n. 7. cum his quæ allegat. Fufchus de visitat. lib. 1. c. 10. n. 15. 16. nouissimè renatus Choppin. de iure Cæno- biorum lib. 1. tit. 2. art. 11. Maynard. in decis. Tho- lof. 41. Petr. Gregor. Syntagmat. iuris vniuers. lib. 2. c. 1. num. 12.

6 Tertia declaratio, non teneri Episcopum non Præ- latum ad Ecclesiæ reparationem, si ab hostibus sit de- structa, vt censuit Arrest. Curia Franciæ 69.

7 Quarta declaratio est, vt tunc Prælati, & Rector teneatur ad Ecclesiæ reparationem, deductis tamen ijs, quæ pro necessitate vti possint, & sic de superfluis tantum teneantur, vt dicit Cappell. Tholof. in dicta decis. 599. Hostiens. Panorm. & Aufser. in locis allega- tis, Valasc. in dicta consultatione, siue decis. 179. n. 22. & 23. & 26. & in hoc casu est fructuum modicitate, & insufficientia, non tenentur argum. c. decernimus 10. q. 1. c. de his de Eccles. edific. & voluit Concilium Tri- dentinum sess. 21. c. 7. incip. cum illud, ibi, qui si non fuerint sufficiens, quod aduertit Costa de remed. sub- fidiar. remedio 106. illatione 2. num. 1. 2. & 3.

8 Quinta declaratio sit, vt his omnibus deficientibus teneantur subditi, & Parochiani cum ibidem recipiāt Sacramenta, argum. c. si Episcopus de offic. ordin. in 6. Panorm. in dicto c. 1. n. 3. & 4. in cap. de his num. 3. & 4. eodem tit. Aufser. in dicta decis. Cappella Tholof. 499. Valasc. in dicta consultatione, siue decis. 1079. n. 26. cum pluribus seqq. Const. de modicitate reddi- tum Ecclesiæ, quod & probauit etiam Sacrum Tri- dentinum Concilium in dicta sess. 21. c. 7. supra allega- to, Fufchus de visitat. lib. 1. c. 10. sub nu. 16. Maynardus decis. Tholof. 32.

Eoq; casu Parochiani tenentur ad opera cum ope- ribus manualibus, & cum curribus, & tenentur dare calcem, & camenta vsq; ad finem operis perfecti, & Ecclesiæ edificatæ, Maynard. in dec. Tholof. 32. & in decis. 33.

Mm 4 RESO-

RESOLVT. CCCXXXVIII.

- 1 Reparationem Ecclesiarum Episcopus in visitatione præcipue considerare debet.
- 2 Reparatio Ecclesie patronatæ ad quem spectat.

Ecclesiam, vel Cappellam patronatam, quis teneatur reparare, & paramentis instruere.

- 1 **V**igilare summo opere debet Episcopus, præcipue in visitatione circa Ecclesiarum, & Cappellarum reparationem, dotationem, earumque paramenta, & alia necessaria, ca. Episcopum 10. quest. 1. exemplum singulare præstatit David, qui dixit Nathan Propheta. Ecce ego habito in domo cedrina, Arca autem Domini sub pellibus est, & proposuit ædificare templum, quod debent considerare omnes diuites, sed præcipue Episcopi, 1. Paralyp. c. 16. hinc oritur dubium, si Ecclesia, vel Cappella est de iure patronatus, qui teneatur eam reparare, & instruere paramentis, aliisque necessarijs, dicendum est, quod si patronus non dedit dotem sufficientem pro victu Sacerdotis, pro luminarijs, & alijs necessarijs, ipse tenetur ad ista, quia fundas Ecclesiam tenetur prædicta præstare c. nemo de consecrat. dist. 1. nam eo ipso quod fundat Ecclesiam, videtur se obligare ad omnia necessaria, Turrecrem. in c. placuit, q. 2. & si Ecclesia fuit fundata auctoritate Episcopi sine assignatione dotis d. c. placuit, & sic poterit in visitatione fieri præceptum patrono, ut infra competentem terminum provideat de necessarijs sub pena priuationis iuris patronatus, & Cappellæ; Non obstat, c. 1. & c. de his, de Ecclesijs ædificandis, in quibus locis dicitur, Rectorem teneri, intelligitur, quando Rector recipit portionem pro fabrica, ut dicit ibi Innocentius in casu sequenti.

RESOLVT. CCCXXXIX.

- 1 Monasterium destructum potest reædificari sine licentia Superioris, dummodo remaneat solum.
- 2 Aedificationis castrorum prohibitio non comprehendit refectionem.
- 3 Monasterij reparatio an comprehendatur sub dispositione Bullæ Clem. 8. III.

An quemadmodum prohibetur per Bullam Clementis VIII. nouum monasterium erigi, ita, & reparari.

- 1 **V**idebatur prima facie negatiue respondendum, nam destructo ædificio, cum remaneat solum, potest illud reædificari sine licentia Superioris, Angel. in Auth. de non alienan. §. hoc ita ad fin. collat. 2. quæ citat. Benedic. de Vadis, in addit. ad Felyn. in reperi- torio in verbo Synagoga, ubi ex hoc dicit posse concludi, quod Iudæis sit licitum reædificare Synagogas combustas, vel in totum destructas absque licentia Episcopi, cum remaneat solum, & area, quasi remanentibus vestigijs prioris ædificij res non dicatur noua, quamuis esset in totum, & funditus destructa, ideo merito videtur posse permitti reædificationem, ut etiam considerat Dec. in l. domum suam n. 3. de regul. iur.
- 2 Vnde etiam prohibitus ædificare castra, non prohibetur reficere, Bald. & Angel. in l. 1. §. ædificare de mort. inferend. quos citat. Felyn. in c. cum accessissent n. 33. de constit. cum alijs per Boer. decif. 44. n. 4. & ita seruari dicit Iaf. in l. ex hoc iure n. 13. de iust. & iur. ubi quod licitum est reficere muros fortilitijs, seu ville sine licentia Superioris, Glos. & Bart. in l. sacra loca 9. §. muros de rerum diuis.
- 3 Verum prædictis non obstantibus contrarium dixi concludendum esse, nam quando castrum esset in totum, & funditus destructum, vel alias materia penitus

abolita tunc dicitur castrum nouum si reædificaretur, ideo non licebit illud ædificare sine licentia Superioris, & taliter ædificanti potest, nunciari nouum opus, quoniam hæc resectio antiquam non sustinet, sed castrum nouum facit, Boer. decif. 44. n. 5. ubi multos allegat attestando, ita fuisse iudicatum contra Dominum, qui volebat in area castrum ædificare post Alber. qui etiam ita attestatur in l. 1. §. si quis ædificum si de oper. nou. nunciat. & in l. inter stipulante §. sacram de verb. obligat. Felyn. in c. consuluit in 2. notab. de Iudæis, & in c. cum accessissent 8. col. penult. in princ. vers. hæc & similia limita num. 33. de constitut. & quamuis Dec. & alij supra allegati illud concludant, tamen eorum opinio non est tuta, & contraria sententia est magis communis, & in iudicijs approbata, ut per Doctores supra adductos, & per Alex. & Iaf. in l. 1. §. si quis ædificum de nou. oper. nunciat. Item Iaf. in l. quo minus col. penult. n. 184. de flumin. ubi multa similia adducit.

Taliter quod articuli decisio distinctione indiget, quod aut Monasterium est omnino destructum funditus, & in tali casu absque licentia erigi, potest prohiberi, vel eget aliqua reparatione, & non subintrat termini Bullæ ex dictis per Nouariu in pragmatica Regni 2. sub rubric. de ædificijs priuatis prohibitis n. 2. & seq. ubi quod possunt vetera ædificia refici, quoniam diuersum est nouum ædificium construere, & vetus reficere ad tex. in l. 1. §. enim si de itin. act. priuat. & in terminis casus nostri scribit nouiter Nouarius Iunior in comentar. super Bullas Clem. VIII.

RESOLVT. CCCXL.

- 1 Consuetudo aliquid dandi per Canonicum nouiter receptum ad pios vsus valida est.
- 2 Consuetudo applicans fructus pendentes beneficij vacantis fabricæ Ecclesiæ valida est.
- 3 Reddus beneficiorum vacantium an possint applicari reparationi Ecclesiæ Cathedralis.

An redditus Beneficiorum vacantium applicari debeant reparationi Ecclesiæ Cathedralis.

- 1 **R**atio dubitandi pro opinione affirmatiua ducatur, & eo quia valida est consuetudo, ut aliquid detur a Canonico nouiter recepto, dummodo id in pios vsus erogetur, Abb. in c. Iacobus n. 3. & in c. sicut n. 2. eodem tit. Felyn. in c. cum M. Ferrar. n. 20. Grals. decif. aur. de Simon. c. 96. n. 49. p. 1. lib. 2. Nauarr. de Simon. lib. 5. conf. 1. n. 3. Anna conf. 1. n. 2. Surd. conf. 2. num. 29. Becc. confil. 76. num. 11.
- 2 Quæ opinio corroboratur auctoritate grauissimorum Doctorem asserentium, valere consuetudinem applicantem fructus pendentes beneficij vacantis fabricæ Ecclesiæ, ut voluit Abbas in c. Iacobus n. 3. de Simon. Alber. de Ros. in 1. par. stat. q. 80. Rip. de arb. & arbit. resp. 1. n. 11. Monet. de distribut. quotid. par. 2. quest. 18. n. 55. Paris. de confid. quest. 38. nu. 27. cum seq. ubi ita fuisse decisum testatur per sacram Cōgregationem Eminētissimorum super decreta sac. Concil. Trid. & licet aliud visum fuerit, Paris. in conf. 93. n. 1. cum seq. Felyn. in c. cum M. Ferrar. n. 20. de constit. Tamen eorum pace non est ipsorum sectanda opinio, uti contra veriorē, & sententiam magis receptam, ac in practica obseruatam.
- 3 Verum pro prædictæ opinionis resolutione, est dicendum Episcopum posse redditus beneficiorum vacantiu applicare fabricæ Ecclesiæ Cathedralis ad tempus, quod veru intelligas si redditus Episcopi, & Canonicoru nō sufficiunt accedentibus Canonicis, ita Abbas in c. 1. de Ecclesijs ædificand. post, Io. Andr. in c. si propter de rescript. in 6. & est communis de qua testatur Felyn. in c. cum accessissent de constitut. dummodo alteri

alteri non competant fructus primi anni, & sic limitatur Clement. si vna de rebus Eccles. non alienand.

RESOLVT. CCCXLI.

- 1 Commutatio vltimarum voluntatum non est licita Episcopo, quod declara, vt num. 2.
- 2 Redditiu Ecclesie superflui possunt assignari fabricæ alterius Ecclesie pauperis.

An Episcopus possit de fructibus Ecclesie vnius fabricæ superfluis assignare fabricæ alterius Ecclesie pauperis.

- 1 Si Episcopus possit de fructibus fabricæ vnius Ecclesie superfluis assignare fabricæ alterius Ecclesie pauperis negatiue videbatur respondendum, eo quod regulariter non est licitum Episcopo mutare, piam testatoris voluntatem, Clem. quia contingit de relig. dono. cap. Pisanis de restitut. spoliat. Couarr. in cap. tua. n. 7. de testam. Nauar. de præbend. conf. 5. nu. 3. & de rebus Eccles. alien. conf. 2. nu. 6. lib. 3. Gabriel. conf. 183. nu. 8. vol. 2. Thesaur. for. Eccles. p. 2. cap. 36. num. 29. Cappell. Tholof. qu. 26. Becc. conf. 5. num. 6. cum sequ. vol. 1.
- 2 Quidquid tamen sit ex supradictis, contrariam sententiam tenendam firmiter existimaui, si quidem magis est iuri consona, & à Scribentibus recepta, prout illam tenuerunt Butr. in cap. quæ in Ecclesiis nu. 272. de constitutionibus per glos. in cap. constitutus de relig. domibus, & glos. in cap. 1. de rebus Eccles. in 6. idem tenet Nauar. cap. 11. de rebus Eccles. alien. ex pluribus præsertim ex notatis per Abbatem in cap. exposuisti de præbend. sed ad tollenda scandala consulti in praxi, vt obtineatur licentia à Papa.
- 3 Non obstat, quod pro contraria parte dicebatur, nam id verum sine causa, secus si concurrat iusta causa, & rationabilis, prout hic tunc enim dispensare potest in legato pio, Abb. in cap. nos quidem, de testam. Gomel. super regul. de trien. pos. quæst. 92. Gabian. in verbo legatum §. 2. num. 6. Sylu. ibidem §. 4. num. 12. Viui. decif. 265. num. 11. lib. 2. Natta conf. 425. nu. 3. Rota Rom. in nouissim. decif. 1122. par. 3. lib. 3. & hodie extat Sac. Concil. Trident. de reformat. sess. 22. cap. 6. & sess. 25. cap. 4. Mandos. de signat. Grat. rubr. commutatio vltimæ voluntatis, Bero. in d. conf. 5. nu. 41. cum seq. vt contrarium sentiat Nouarius Iunior Eccles. Neapol. Canonicus in l. 1. C. de erog. milit. ann. lib. 12.

RESOLVT. CCCXLII.

- 1 Rector Ecclesie tenetur impendere fructus omnes in reparatione Ecclesie in defectum patroni.

Rector Ecclesie quando teneatur impendere omnes redditus in eius reparationem.

Soleo multoties dubitari quid agendum, vbi Cappella non est patronata, quod casu obligatur patronus ad illius reparationem, iuxta tradita communiter in cap. nobis per illum text. de iure patronatus, nec Rector percipit ex ea fructus sufficientes pro victu suo, nec pro fabrica, & Cappella indiget reparatione, vel parametis, & respondetur in hoc casu obligari Rectorem eam reparare, & instruere, & expendere omnes fructus, ita Innocent. & Abb. in d. cap. de his; talis etiam præsumitur intentio fundatoris, quod Ecclesia non debet corrui, sed ex eisdem redditibus reparari, & si fuisset interrogatus, ita respondisset argum. glos. in l. tale pactum ff. de pact. vnde quod verisimiliter est, debet attendi.

RESOLVT. CCCXLIII.

- 1 Reparationis Ecclesie ommissio inducit peccatum mortale.

Vbi Ecclesia reparari non potest, an tunc transferri debeant beneficia ad Ecclesias Matrices.

- 1 Felyn. in cap. per tuas, il terzo, de simonia dicit, quod Clericus omitrens reparare Ecclesiam ruentem peccat mortaliter, nec eum excusat tenuitas reddituum Ecclesie, quia tenetur de proprio patrimonio nisi esset pauper, allegat S. Thom. post Innocent. vbi suprased Abb. intelligit patrimonium, id est partem sibi debitam ex fructibus beneficij, & interim cessabunt onera, & prædicta intelligo quando redditus sufficiunt pro reparatione infra breue tempus, sed si essent adeo tenues, vt Ecclesia reparari non posset, nisi post longum tempus, & difficiliter, tunc facienda esset transactio iuxta Conc. Trid. cap. 7. sess. 21. de reformat. & sic poterit Episcopus in visitatione sequestrare fructus beneficiorum, vel partem illorum pro parametis, & alijs necessarijs, idem censeo quando Ecclesia est de iure patronatus, sed patronus est pauper.

RESOLVT. CCCXLIV.

- 1 Rector Ecclesie tenetur ad reparationem Ecclesie si supersint fructus, & de ratione, n. 2.
- 3 Prima charitas incipit à se ipso.

Rector Cappellæ an teneatur ad reparationem quoties sibi supersint fructus.

- 1 In hoc articulo respondeo cum decif. Cappellæ Tholof. 500. cuius tenor est. Item fuit quesitum vtrum Rector Ecclesie Parochialis ruinam minantis cogi possit ad illius reparationem, conclusum fuit, quod sic de redditibus, qui sibi superflui sunt, vt in cap. de his, de Eccles. edific. quod intellige deductis necessarijs, quibus non tenetur se priuare, vt conuertat ad Ecclesie reparationem, quia charitas ordinata, incipit à se ipso, cap. non satis 86. dist.
 - 2 Quæ decisio secundum me corroboratur, ex eo quod denominatio rei intelligitur semper deductis necessarijs, l. Iulianus, ff. ad exhibendum, prout de fructibus, quod intelligatur deductis expensis, Triuif. decif. 34. par. 1. & in releuio, quod intelligatur deductis oneribus, testatur Mastrill. decif. 112. prout de valore beneficij, quod intelligatur deductis oneribus perpetuis impositis super eiusdem fructibus, dicit Cassador. decif. 19. de præbend. Veral. decif. 328. par. 3. per doctrinam, Felyn. in cap. ad aures de rescript.
 - 3 Et facit pro corroboratione, quia prima charitas incipit à se ipso, & ante omnia quis debet habere rationem sui, l. preses, C. de seru. & aqua, cap. qui vult ordinare 19. de pœnit. dist. 3. & ibi glos. in verb. se ipso D. Paul. 2. ad Corint. 1. S. Thom. 2. 2. qu. art. 6. cum neque etiam quis teneatur subtrahere suis necessitatibus, vt in causam piam erogat, Archid. in cap. non satis, num. 4. dist. 86.
- Imò amplius, idem erit in illa necessitate sine qua vita non potest conuenienter pertransiri secundum conditionem, & statum personæ propriæ, & aliorum, quorum cura ei incumbit, huiusmodi enim necessarij terminus non est constitutus in indiuisibili, sed multis additis non potest diiudicari esse ultra tale necessariu, & multis subtractis adhuc remanet, vnde aliquis possit conuenienter vitam transigere secundum proprium statum, & de huiusmodi rebus dare elemosynam est bonum, non tamen cadit sub præcepto, sed sub consilio.

Inor-

Inordinatam enim esset si tantum sibi quis subtraheret de bonis proprijs, vt alijs largiatur, quod de residuo non sufficeret ad viuendum concedenter, & secundum statum, & negotia occurrentia, prout & concludit D. Thom. 2.2. quæst. 32. art. 6. Sylu. in verb. elemosyna n. 2. Nauarr. in manual. cap. 23. n. 6.

RESOLVT. CCCXLV.

- 1 Ecclesiæ ampliatio intelligitur facta remanentibus istdem prerogatiuis.
- 2 Ideo remanere debent eadem arma, & insignia familie, quæ reperiuntur in Ecclesia antiqua.
- 3 Ecclesiæ noua subrogata in locum antiquæ debet assumere omnes illius qualitates.
- 4 Ecclesiæ renouatio censetur facta sine alterius præiudicio.
- 5 Insignia armorum depicta in Ecclesia ostendunt dignitatem familie, & illius memoriam conseruant.

An vbi Ecclesiæ reedificatur, vel renouatur Insignia, quæ ibidem erant sint renouanda.

1 **I**N præsentī articulo respondeas cum decis. Rotæ in vna Calaguritana præminentiarum 29. Martij 1610. coram Ludouico, deinde Gregorio XV. cuius tenor est.

- Pro Dominis de Murga informantibus fuit resolutum,
- 2 arma, seu scuta armorum suæ familie, quæ apposita, & affixa reperiuntur in fornice, & columnis, seu pilastris Cappellæ iuerum esse transferenda, & assignenda cornici, & columnis Cappellæ nouæ, quia vt fuit conclusum corā bon. mem. Gypso 28. Iun. 1589. ampliatio Ecclesiæ intelligitur facta firmis remanentibus qualitatibus Ecclesiæ. & prerogatiuis Dominorum de Murga, iuxta not. in cap. ad audientiam, il secundo de Ecclesiæ edific. Vnde arma, & insignia familie de Murga, quæ reperiuntur in Cappella veteri, deberent etiam assigni in Cappella renouata, quæ cum sit in locum antiquæ subrogata, debet assumere omnes eius qualitates, si eum, s. qui iniuriarum, s. qui cant. bene faciunt in argumentum trad. per Host. in c. 3. nu. 4. de iurepatr. Abb. in cap. cum olim n. 6. de consuet. cum alijs adductis in præfata decis. in qua etiam fuit dictum renouationem censi factam sine alicuius præiudicio; Multum autem præiudicaretur Dominis de Murga, si non liceret in Cappella ponere insignia armorum, per quæ dignitas familie ostenditur, & memoria conseruatur, Anchar. conf. 356. in fin. Bald. in l. 1. c. vt nem. lic. sing. Imper. de Anan. conf. 86. post num. 2. & ibi Bologn. in addit. cum alijs adductis per informantes.

RESOLVT. CCCXLVI.

- 1 Plura tēpora considerantur in casu difficultatis propositæ.
- 2 Distributio bonorum Ecclesiæ circa eius fabricam, & reparationem quomodo fiat hodie.

Distributio Bonorum Ecclesiæ circa eius fabricam, & reparationem, an fiat hodie quemadmodum antiquis temporibus.

1 **P**RO resolutione distinguenda sunt varia tempora, primum tempus est in initio nascentis Ecclesiæ, Christiani nihil proprium habebant, nec Clerici, nec Ecclesiæ, sed vendebant omnia, quæ habebant, & Apostolis dabant, vt distribuere, sequuti perfectionem Euangelicam, Vade, & vende omnia quæ habes, & da pauperibus; Probatur hoc in Actis Apostolorum, c. 4. Multitudinis inquit, textus Sacer. credentium erat cor vnum, & anima vna, nec quisquam eorum, quæ possidebat aliquid suum esse dicebat, sed erant illis omnia communia, & ex facto Ananias pater relatio in

cap. 5. Aduum Apost. & ex cap. futuram Ecclesiā, 12. quæst. 1.

Successit deinde secundum tempus multiplicato numero Christianorum, vt non possent ex elemosynis sustentari in communi, & laici Christiani retinebant bona sua, & Clerici dumtaxat ex elemosynis, & oblationibus sustentabantur, nihil in particulari habentes, & has elemosynas inter ipsos Clericos, & alios, Episcopus distribuere, c. videtis, c. concessio, c. relatum, cap. expedit in quæst. 1. & colligitur ex Concilio Antiocheno, c. 25. to. 1. Concil. c. Episcopus 12. quæst. 1. facit text. in c. Inquirendum de peculo Clerici.

Superuenit deinde tertium tempus, in quo etiam Clerici desinebant viuere de elemosynis, & ceperunt habere bona propria, vt probatur in c. certo 12. quæst. 1. & in Concilio Agathensi cap. 40. c. viduas, cap. Pastor, prima quæst. 2.

Aduenit deinde quartum tempus, in quod erant iam Ecclesiæ affluentes bonis, & diuitijs, & redditus Ecclesiæ solebant diuidi in quatuor partes, vnam habebat Episcopus, aliam Rector Ecclesiæ, tertiam fabrica Ecclesiæ, quartam vero pauperes, & Episcopus diuidebat, vt colligitur ex c. concessio, c. quatuor, c. mos. 12. quæst. 2.

Sed & per Canones antiquos aliquando Episcopi habebant mediam partem, aut tertiam oblationum, quæ fiebant in Ecclesijs, c. de ijs, & c. seq. 10. quæst. 1. eod quod erant pauperes, sed per tempus ceperunt augeri bona Episcopatum, & statutum est in secundo Bracharensi Concilio, quod nullus Episcoporum præter honorem Cathedralis suæ, idest, solidas suas quidpiam aliud haberet ab Ecclesijs inferioribus, nec perciperet tertiam partem de oblationibus Ecclesiæ inferiorum, sed seruarietur reparationi Ecclesiæ, c. placuit c. priscis, Rebuff. in praxi, titulo de dispensat. ratio attatis pag. 402. n. 3. & 4. sed & aliquibus Ecclesijs Episcopus, & capitulum tertiam partem habebant. Rector vero Ecclesiæ particularis duas partes, quia sacra ministrabat, & omnia onera, & sumptus Ecclesiæ, & fabricæ supportabat.

2 Hodie verò secundum Rebuff. vbi supra n. 6. bona Ecclesiæ debent in tres partes distribui, vt prima sit Clericorum, secunda pauperum, tertia fabricæ, c. concessio, & seq. 12. quart. 2.

Et ita ex prædictis colligitur, quod secundum Canones aliquando tertia pars reddituum Ecclesiæ erat in eius fabricam cōuertenda, c. decernimus 10. quæst. 1. & aliquando quarta pars erat deputata, vt in c. 1. c. quatuor, & seq. 10. q. 2. tradit Ripa lib. 2. respons. 22. nu. 2. & alibi, Gregorius in l. 1. tit. 10. partit. 1. dicit qui, & distributionis bonorum Ecclesiæ secundum diuersa tempora meminit, Abbas in quæst. incipit istius in c. postulasti, art. 10. Rebuff. in loco allegato.

RESOLVT. CCCXLVII.

- 1 Commendatores perpetui tenentur ad reparationem Ecclesiæ, non tamen temporales.
- 2 Commende perpetuæ assimilantur beneficijs.
- 3 Et plura inferuntur, vt num. 5. 6. 7. 8. & sequentibus.
- 4 Commendatarij perpetui faciunt fructus suos.
- 4 Text. in c. licet Canon. de elect. in 6. habet locum in commendis perpetuis.

An Commendatores teneantur ad reparationem Ecclesiæ ipsi commendatæ.

1 **I**N præsentī articulo, est distinguendum, quod aut est commenda perpetua, aut temporalis, primo casu teneantur ad fabricam Ecclesiæ conferre, in secundo vero nequaquā ratio diuersitatis est, quoniam cōmenda perpetua beneficij est titulus Canon. c. dudum, il 2. de elect.

- elect. c. si plures 21. quæst. 10. Monach. num. 3. Archidiacon. & alij in cap. nemo deinceps 15. de elect. in 6. Feder. de Senis in tract. de permutat. beneficiorum. quæst. 15. per totam. Milius in repertorio verbo beneficia commendata nu. 11. & verb. commend. an sit Canonici titulus. Guid. Pap. quæst. 159. vers. 5. conclus. Rebuff. de pacific. possessor. nu. 35. cum seq. Lambertin. de iure patronat. lib. 2. p. 1. quæst. 6. art. 14. per totum. Gomez. in regul. de infirmis quæst. 13. & in regula de impetrantibus benefic. vacan. per obitum familiar. Cardin. quæst. 6. & in regula de triennali quæst. 5. Hoieda de incompatibilitate beneficiorum par. 1. c. 14. num. 6. & 2. p. c. 4. n. 11. Mandos. in regula de verisimili q. 3. n. 2. & in regula 32. q. 7. n. 22. Puteus dec. 158. n. 4. lib. 1. Rota decif. 765. n. 5. par. 3. diuersorum.
- 2 Nam commendæ perpetuæ de beneficijs parum, aut nihil distant ab alijs prouisionibus beneficiorum, & sic in Bulla illius dicitur, vt comodius onera sustentare valeas de alicuius subuentionis auxilio prouidere cupientes tale beneficium auctoritate Apostolica concedimus, & commendamus, ac prouidemus per te quam diu vixeris obtinendum, possidendam, ita quod durante commendâ huiusmodi de fructibus, & redditibus ipsius disponere, & ordinare valeas, &c. quam formam assignat Rebuff. in praxi titul. de commenda n. 28. & de pacific. possessor. n. 43.
- 3 Vnde talis Commendatarius perpetuus facit omnes fructus suos sicut alij titulares perpetui, Cassador. dec. 33. n. 5. super regulis, Rebuff. de pacific. possessor. n. 43. Mandos. in dict. regul. 30. quæst. 3. num. 4. Puteus dec. 25. num. 4. lib. 1.
- Et dicitur talis commendâ perpetuâ, dispensatio obtinendi prohibitum, sicut etiam vnio temporalis, Gemin. consil. 38. n. 11. Cassador. decif. 33. nu. 5. super regulis, & decif. 2. de vnionibus n. 9. Mandos. in regul. 33. quæst. 30. num. 3.
- 4 Hinc poena cap. licet Canon. de election. in 6. contra non promouentes, se infra annum habet locum in his Commendatarijs perpetuis, Clem. in agro §. ceterum de statu Monachorum, ibi infra annum computandum à tempore collationis, & commissionis, & antea dixerat conferri nequeat, nec committi, & per commissionem intelligitur de commendâ, Rebuff. de pacific. possessor. num. 42. vers. & sicut tenetur infra annum, Mandos. in d. regul. 32. quæst. 7. n. 10. & 11.
- 5 Requirit quoque talis commendâ ætatem, & alias qualitates legitimas, sicut verum beneficium, c. nemo deinceps de elect. lib. 6. Caputaquens. decif. 127. num. 3. par. 1.
- 6 Sic potest esse Iudex Apostolicus Commendatarius perpetuus, iuxta text. in c. statutum de rescript. lib. 6. & latè tradit ibi Gomez. nu. 77. in 9. ampliât. Cassan. in consuetudinibus Burgund. in rubr. de successione des bastardes §. num. 88.
- 7 Ita vt dispositio text. in cap. quoniam, Abb. 14. de officio delegat. in quo concordant alia iura dicentia, quod delegatio facta dignitati non expresso nomine proprio transit ad successorem, habet etiam locum in Commendatario perpetuo, vt Dec. ibidem nu. 4. vers. & ista tertia. Mandos. in dicta regula 32. q. 7. n. 8. & 9.
- Ita talis Commendatarius perpetuus potest præsentare, eligere, & conferre, sicut quilibet alius prouisus, vt plenè per Rebuff. in praxi tit. de commenda nu. 60. & 61.
- 8 Habet etiam liberam potestatem in spiritualibus, & temporalibus, Abb. in c. cum non nobis olim vlt. notab. de elect. Rebuff. de pacific. possessor. n. 41.
- 9 Ac propterea potest locare fructus ad plures annos sicut alij titulares, & in eis habet locum cap. vestra de locat. Calderin. in consil. 8. an Commendatarius per totum sub titulo de locat. Roman. 350. in casu propo-

sito à num. 8. Rebuff. in praxi titul. de commenda num. 62.

- 10 Hinc regul. de infirmis resign. intrat in commendis perpetuis, Cassador. d. decif. 32. per totam super regulis, Gomez. in dicta regula de infirmis quæst. 13. per totam, & expressè probatur ex eadem regula, quæ est 18. de viginti in illis verbis, vel illius commendâ celsiferis, Rota decif. 80. n. 2. lib. 3. diuersi.
- 11 Sic etiam regula de publicandis resignationibus locum habebat in perpetua commendâ, vt manu fusa, per Gomez. super eadem regula, quæst. 3. per totam.
- 12 Hinc in impetratione alterius beneficij, debet fieri mentio de tali commendâ, aliàs gratia erit nulla, glof. verb. commendare vers. sed numquid habens talem commendam in c. nemo, & ibi Ioan. Monach. num. 4. & omnes de elect. lib. 6. Capyc. decif. 3. num. 6. Puteus decif. 272. lib. 2.
- 13 Pariter illegitimus non dispensatus talem commendam habere non potest, Rebuff. in praxi titul. de commendis num. 63.
- 14 Sicut & Commendatarius potest transigere super fructibus sui beneficij commendati, ac eos vendere, Geminianus consil. 17. pro declaratione in fine Capyc. decif. 3. sub n. 9. Rebuff. de pacific. possessor. sub n. 40.
- 15 Item alia commendâ inducit incompatibilitatem inducendam à cap. de multa, de præbend. & extrauagan. execrabilis, eodem tit. vt post longam disputationem hinc inde resoluit Alphonsus Hoieda de incompatibilitate beneficiorum, par. 1. c. 14. num. 16. vsque ad nu. 30. & hodie expressè disponitur per Concil. Trident. sess. 7. c. 2. & cap. 4.
- Et licet antea secus dicebatur Cassador. decif. 32. n. 7. super reg. Sorrent. super regul. de Idiomate q. 5. Mandos. in regul. 32. quæst. 7. num. 14.
- 17 Nec non regula de triennali procedit in commendis, Gomez. latissimè in regul. de trienn. q. 5. num. 10. & seqq. Rota decif. 765. in causa Vrgelen. per totam part. 3. diuersarum.
- 18 Nec non regula de verisimili notitia, Cassador. decif. 30. super regul. Gomez. ibidem quæst. 4.
- 19 Similiter Commendatarius potest permutare commendam cum alio beneficio, in titulo dato c. fin. & ibi plenè Imola de rerum permut. Rebuff. de pacific. possessor. num. 38. Feder. de Sen. in tract. de permut. quæst. 13. Bellarm. in eodem tract. par. 3. q. 4.
- 20 Ac etiam potest resignare commendam etiam in fauorem, Rota decif. 80. lib. 3. diuersarum, Paris. de resign. benef. lib. 2. q. 17. num. 1. per totam.
- 21 Item Commendatarius perpetuus tenetur verificare narratam sicut quilibet alius beneficiatus, Puteus decif. 254. lib. 3. per totam, per quam decif. fuit recessum à decif. 247. eiusdem Puteus eodem lib. 3. prius facta, vbi contrarium Rota tenebat.
- 22 Et Commendatarius Abb. alicuius monasterij similiter dicitur Prælatus, Rota decif. 346. num. 2. par. 3. diuersarum.

RESOLVT. CCCXLVIII.

- 1 Consuetudo est attendenda in obligatione fabricæ Ecclesiæ, etiam contra laicos Parochianos, nu. 2.
- 3 Vbi sunt redditus ex quibus potest refici Ecclesia laici non tenentur.
- 4 Vsufructuarius tenetur ad refectionem.

An Laici Parochiani teneantur ad reparationem Ecclesiæ Parochialis.

Respondeo, quod ante omnia in hac obligatione fabricæ attendenda est consuetudo, nam si consuetudo legitime præscripta fuerit, quod vel Episcopus, vel Rector, vel beneficiarius, vel etia laici Parochiani præ-

ni præsent sumptus fabricæ, vel quod Rector Ecclesiæ, & beneficiarij reficiant Cappellam maiorem Parochiani verò corpus Ecclesiæ, vt sit in multis locis Regni talis consuetudo, non obstantibus Canonibus seruanda erit, quia consuetudo vincit legem, l. de quibus, ff. de legibus c. fin. de consuetudine, & quod valet talis consuetudo, tenet expresse Innocentius in c. fin. de his, quæ fiunt à maiori parte cap. capite si propter, & ibi Dominicus de rescriptis in 6. Ripa lib. 3. respons. 22. nu. 3. colum. 2. Panorm. in c. 1. de Ecclesiæ edificand. glos. Gregor. in l. vndecima. Hisp. tit. 10. par. 1. in verb. quæ son dadas, Extrauag. 2. partition. tit. 2. §. 50. & consuetudo est maior statuto, Nouarius forens. quæst. 103. num. 2. tom. 1.

2 Et est valde notandum, quod valet talis consuetudo etiam contra laicos Parochianos, vt ipsi teneantur ad fabricam, vt in specie tenuerunt Archidiaconus in d. cap. concess. 12. q. 2. Innoc. & Abb. nuper allegati, Angel. in sum. verb. Clericus 3. Rebuff. in praxi tituli de dispensatione arat. pag. 403. n. 7. Ripa dicti. respons. 12. col. 2.

Nam contrarium dicendum videretur, cum ipsi non percipiant aliquid de redditibus Ecclesiæ, sed substituitur talis consuetudo, quia videtur profecta ex charitate, & deuotione Parochianorum, & per hoc limitatur glos. in d. c. quatuor 12. q. 2. quæ scripsit laicos non teneri de iure aliquid erogare in fabricam, vel refectionem Ecclesiæ, quia istud regulare est, sed falsum nisi consuetudo sit in contrarium, vt etiam laici teneantur suis sumptibus fabricare, & reficere secundum Rip. vbi supra, & etiam si Ecclesia habeat in redditibus, prout ita non semel obseruatum reminiscor.

Et hanc consuetudinem, vt laici teneantur ad fabricam, probat etiam Hostiens. in sum. de Ecclesiæ edificand. §. 1. dum ait, quod in aliquibus regionibus laici de consuetudine opus fabricæ faciunt suis expensis, quæ consuetudo fundatur auctoritate iurum, quæ ibi adducit, & quod ipsorum locorum interest cum ibi percipiant Ecclesiastica Sacramenta, & Missam audiant, & maxime erit obseruanda, vbi non bene soluunt decimas c. quicumque 16. q. 1. quod & pluries consului, & quod compellendi sunt talem consuetudinem obseruare argum. c. ad Apostolicam de Simonia, facit quia consuetudo vim legis habet leg. de quibus, ff. de legit. c. fin. de consuetudine, l. 2. C. eodem, & idem absq. dubio si de contractu cum laicis circa hoc consuet, quia pactis standum c. 1. c. 3. de pactis l. iurifigentium §. preter ait ff. de pactis.

3 Limita supra positam principalem conclusionem, & primo si in Ecclesia esset certa portio, seu sint certi redditus deputati ad fabricam ipsius, & sufficientes, & Clerici qui talem portionem, vel redditus percipiunt tenentur ex illis Ecclesiam reficere, vel edificare cap. vnico 10. quæst. 3. c. decernimus 10. quæst. 1. Ripa respons. 22. colum. 2.

Sub limita supra positâ limitationem, si portio deputata ad fabricam non sufficit, tunc Prælati, & Clerici beneficiarij tenentur supplere id quod deficit secundum redditus quos vnusquisque eorum habet ex tali Ecclesia, & sic pro rata reddituum cap. 1. de ijs, de Ecclesiæ edificand. c. si Monachus 16. quæst. 1. c. fin. de ijs quæ fiunt à maiori parte c. Feder. consil. 217. Card. in c. ad audientiam in fine Ecclesiæ edificand. Ripa in dicto respons. 22. nu. 3. & hoc in quantum vnusquisque facere potest, & sic deducto omni eo quod vnusquisque eorum indigeat ad vitæ sustentationem, vt probatur in d. c. de ijs, & scripsit Ripa vbi supra colum. 2. in principio, & ita Concilium Trident. sess. 21. c. 7. ibi omnes patronos, & alios, qui fructus aliquos ex dictis Ecclesijs prouenientes percipiunt, vt procedat deductis necessarijs alimentis.)

Quæ est eadem ratio quam ponit glos. ad text. ibi in c. 1. de Ecclesiæ edificandis, quia vbi est emolumentum,

ibi debet esse onus, & non est ferendus, qui lucrum amplectitur, onus autem subire recusat l. vnica §. pro secundo in fine, & §. ne autem verum nec sit talis cōdict. caduc. tollend. sicut è contrario ad que inspectat onus debet spectare emolumentum l. manifestissimi, §. penult. in fine c. de furtis c. ult. de ijs, quæ fiunt à Prælat. regul. qui sensit lib. 6.

4 Facit simile quod adducit glos. de usufructuario, qui tenetur ad facta recta reficienda l. cum ad quem, C. de usufruct. l. hæc tenet §. usufruct. cum traditis per Pinel. in l. 1. de bonis matern. prima partition. num. 60. Valasc. de iure emphyt. quæst. 12. n. 4. versic. 10. naturale, & q. 17. num. 1. lib. 1.

Quod si deducto necessario ad alimenta beneficiorum non supersint redditus Ecclesiæ ad fabricam reparandam honestum est, quod laici Parochiani adiuuent Clericos à quibus recipiunt sacramenta argument. 51. Episcopus de officio ordinari. lib. 6. ita Panorm. in c. 1. n. 4. de Ecclesiæ edificand. sequitur Ripa dicto respons. vigesimo secundo col. 2. versic. & ibi redditus, Gregor. Lop. in l. vndecima, Hisp. tituli. 10. par. 1. vbi addit, quod nec posset Parochianos, volendo vitare hoc onus cedere huic Ecclesiæ, quia hoc non pendet à facultate sua, vt in c. omnis de penit. & remissi.

RESOLVT. CCCXLIX.

1 Parochiani vbi sunt pauperes, nec possunt reficere Ecclesiam, debet fieri translatio ad Matrices.

Si laici Parochiani, siue Filiani adeo sint pauperes, quod non possint subuenire fabricæ, quid agendum?

1 Quotiescumque Parochiani sunt adeo pauperes, & inopes, quod non possint subuenire fabricæ, quid sit faciendum tradit Paul. de Cita dñi de iure patronatus in 3. par. art. 5. ad quem se remittit Greg. in lege 11. tit. 10. par. 1. in glos. 2. in fine; sed & hoc est prouisum per Sac. Concil. Trid. sess. 21. cap. 7. in fine, ibi. (Quod si nimia egestate laborent ad matrices, seu viciniores Ecclesias transferantur cum facultate tam dictas Parochiales, quam alias Ecclesias dirutas in profanos vsus non fordidos, erecta tamen ibi Cruce conuertendi; & ita scribit Valasc. alleg. 179. num. 22.)

RESOLVT. CCCL.

1 Laici non existente consuetudine, adhuc in subsidium tenentur in reparatione Ecclesiæ parochialis.

2 Concilij Tridentini verba referuntur.

Filiani laici an teneantur ad reparationem fabricæ Ecclesiæ Parochialis in subsidium, licet non adsit consuetudo contribuendi.

1 Quamuis contra opinionem Abb. sentiant. Glos. in cap. quatuor 12. quæst. 2. & Host. in summa de Ecclesiæ edificand. quatenus dicunt, quod laici de iure non tenentur ad fabricam, nisi in Ecclesijs, vbi hæc vigerit consuetudo, & sic non distinguunt redditus Ecclesiæ deductis necessarijs ad beneficiatos, & seruientes ipsi Ecclesiæ sufficientes ad fabricam, nec ne, attamen opinio Abb. seruanda est, nempe quod deficiente portione deputata fabricæ, & non sufficientibus redditibus Ecclesijs deducto necessario ad beneficiatos parochiani vltimo loco, compellantur cum eorum interfit, & ita seruatur in praxi, quæ pia, & Christiana est.

2 Quæ opinio optimè probatur per Concilium Tridentin. sess. 21. can. 7. cuius verba sunt. (Parochiales verò Ecclesias, etiamsi iniuripatronatus sint ita collapsas refici, & instaurari procurent ex fructibus, & prouentibus)

bus quibuscumque ad easdem Ecclesias quomodocumque pertinentibus; qui si non fuerint sufficientes omnes patronos, & alios, qui fructus aliquos ex dictis Ecclesijs prouenientes percipiunt, aut in illorum defectum Parochianos omnibus remedijs opportunis ad prædicta cogat quacumque appellatione, exemptione, & contradictione remota.

Et ex prædictis videt ego multoties praticari in Ciuitate Neapolis præsertim tempore bonæ memoriæ Eminentiſſimi Cardinalis Carrata, pro subsidio nouæ parochiæ in Burgo Virginis, & parochia ipsa redacta ad perfectionem in loco, vbi vulgo dicitur *la Massaria di Fonseca*.

RESOLVT. CCCLI.

- 1 Onus reale spectat ad Dominum, & nō ad Conductorem.
- 2 Ad hoc soluitur per Dominum.
- 3 Inuestitura faciendæ potestas spectat ad Dominum.
- 4 Ius præsentandi est in fructu, & an spectet Conductori.

Onus contribuendi fabricæ Ecclesiæ parochialis an spectet ad Conductores pariter domorum, an verò ad Dominos domus.

- 1 **F**uit pariter in Ciuitate Neapolitana dubitatum si onus contribuendi fabricæ Parochialis spectat ad Dominos ædium, an verò ad Conductores domorum, & concluditur quod cum huiusmodi onus sit reale nō pertinet ad conductorem, sed ad Dominum, secundum Alexand. in consilio 4. colum. 2. volum. 5. Capyc. in inuestitura feud. folio 29. Liparulus in additione ad Iserniam in §. similiter de capitulis. Corradi quemadmodum dicimus de Adhoca, cuius solutio non pertinet ad conductorem, sed ad Dominum feudi, Anna cons. 3. n. 18. volum. 1.
- 2 Et facit quia in simili videmus, quod inuestitura faciendæ potestas pertinet ad Dominum, non autem ad vsumfructuarium, Guid. Papa decif. 477. Bellonus cons. fil. 6. num. 16. resp. 688. nu. 3. Menoch. consil. 66. nu. 39. libr. 1. qui contrarium tenet in renouatione Franc. Marc. decif. 605. part. 1. vbi tam quoad inuestituram, quam pro ad ipsius renouationem tenet cum prædictis, licet dicat quod Dominus tenetur dare Laudemium vsumfructuario, & tamen vsumfructuarius plus iuris habet, quam Conductor, vt latissime per multa iura, probat Alex. d. cons. 4. in fine vers. ex prædictis vol. 5. & faciunt ea, quæ tradunt Doct. in l. naturaliter §. nihil commune ff. de acquir. possess. & ratio est, quia ius inuestiendi est ius Dominicale, quod non transfertur in vsumfructuarium, vel conductorem.
- 3 Et tandem comprobatur à simili, quia licet ius præsentandi sit in fructu, quod est fortius, non tamen transfertur in conductorem ad modicum tempus, Castrenf. cons. 57. venerabilis vir. vol. 1. Abb. post glof. & alios in c. ex literis de Iure patron. & ibidem Berous, Picus in l. Titia testamento, §. Titia cū nuberet, nu. 129. & 130. ff. de leg. 2. Lambertin. in tract. de Iur. patron. li. 1. 8. 9. princ. 2. part. in 2. artic. fol. 140. Roch. Curt. de Iure patron. ver. ipse vel is, à quo n. 58. Felyn. in c. cum Berzoldus colum. penult. de re iudic. Boer. decif. 224. in fine de Anna fing. 594. & Carroc. in tract. de locato nouissima editione tit. de Iure patron. fol. 242. num. 2. de quo nouissime videndus est Nouarius forens. qu. 146. tom. 1. vbi latè disputat articulum.

RESOLVT. CCCLII.

- 1 Materia refectionis Ecclesiæ dicitur pia.
- 2 Legatum pro monumenti constructione pium appellatur, sic etiam si fuerit factum pro refectione pontis n. 3.
- 4 Legatum incertum valet fauore piæ causæ, & refectionis pontium.

Refectionis Ecclesiarum, & Cappellarum materia an sit pia.

- 1 **P**robat Nouarius in suo nouo, & vtili trac. de elect. & variat. fori q. 5. l. sect. 2. sub n. 22. in vltima editione Neapolitana, quod materia refectionis Ecclesiarum, & Cappellarum dicitur pia, & ideo firmat legatum pro refectionis Ecclesijs pium appellari, Barbat. cons. 26. lib. 3. Surd. consil. 62. n. 5. & seq.
- 2 Quæ opinio fulcitur, nam in simili legatum pro constructione monumenti dicitur pium, vt per Bald. & Angel. in l. hæreditas §. si defuncto ff. de petit. hered. Menoch. de præsumpt. c. 115. num. 25. lib. 4. Intrigliol. singul. 97. num. 150.
- 3 Et legatum pro refectione pontis, viæ, fontis, & similibus adhuc inter legata pia reponitur, vt voluit Glof. in l. 1. §. ad municipal. ff. ad l. Falcid. Dec. consil. 72. Florian. in l. cū de iure verso colum. 2. ff. de vsuris, Bald. in Auth. similiter C. ad l. Falcid. Firmian. in trac. de Episcopo part. 4. lib. 4. quæst. 31. versic. congruenter dicendum, latius Tiraquell. in tract. de pia causa in præfatio. in versic. item legatum factum ad constructionem, vbi quod sicuti alias valet legatum incertum fauore piæ causæ, ita & pro refectione pontium l. quidam in testamento, & ibi Glof. & alij, ff. deleg. 2. Bart. in l. si is cui annuum, ff. de annuis legatis, & quod hæc res adeo est fauorabilis, vt priuilegium immunitatis à publicis muneribus non se extendat ad hoc, nisi in specie fuerit circa illud priuilegium cōcellum l. 1. vbi Joan. de Plat. C. de collat. fund. patrim. lib. 11. & l. absit vbi idem Plat. C. de priuileg. Domin.

PRAXIS MATRIMONII VAGORVM.

Iuxta Concil. Trident. sess. xxiv. Cap. vij.

RESOLVT. CCCLIII.

- 1 Dispositio Sacri Concilij Tridentini circa matrimonia vagorum refertur.

Quid disponat Concilium Tridentinum circa matrimonia Vagorum.

- 1 **S**ciendum est, quod Sacrum Concilium Tridentinū loquens de matrimonijs vagorum, vtitur his verbis in sess. 24. c. 7. videlicet. *Multi sunt qui vagantur, & incertas habent sedes; & vt improbi sunt ingenij, prima vxore relicta, aliam vt plerumque plures illa vinente diuersis in locis ducunt; cui morbo cupiens sancta Synodus occurrere, omnes ad quos spectat paternè monet ne hoc genus hominum vagantium ad matrimonium faciliè recipiāt, Magistratus etiam seculares hortatur, vt eos seuerè coerceant; Parochis autem præcipit ne illorum matrimonijs intersint, nisi prius diligentem inquisitionem fecerint, & re ad Ordinarium delata ab eo licentiam id faciendi obtinuerint.*

RESOLVT. CCCLIV.

- 1 Vagus dicitur, qui non habet domicilium.
- 2 Moram non trahens in vno loco, dicitur vagus.
- 3 Vagabundo asserenti habere domicilium incumbit onus probandi.

Vagus quānam dicatur ad effectum contrahendi Matrimonium virtute Concilij.

- 1 **E**st approbatum à Doctores communiter, vagū illum debere appellari, & in rei veritate esse, qui nō habet domicilium certum, vel habitationem; quoticq;